

colo, semicolo & commati, quibus nostras orationes distingvimus, ubique respondentia. Silluk enim frequenter ponitur ubi nullum puncti signum requiritur, uti Gen. X. v. 13. 14. edocemur; in quorum versuum interpretatione Sillukum commodissime omnium Grammaticorum iudicio tantum commate expresseris, quod etiam in hoc libro Doctissimus Franckius p, 64. fusius ostendit. Sic Atnachus quandoque puncti, coli, vel commatis locum occupat, & de reliquis minoribus Sakepho, Rebhia &c. postulante id accentuum ordine, idem sentiendum est. Nec primarium & perpetuum accentuum officium est distingvere & conjungere voces, quæ persuasio multorum animis insidet. Hoc enim si esset, cur quæso in una voce duo reperiuntur accentus, nonne priori carere possumus? quia in medio vocis neque distinctione neque conjunctione opus est. Tantum abest ut alterum Methegi locum occupare dicas, ratio enim reddenda est, cur Metheg ejectum, in ejusque locum accentus substitutus sit. Et quid respondebunt, si adducantur voces duobus accentibus signatæ, in quibus Metheg nullum locum invenit? legimus enim וְאָבְרָהָם שָׁמַר - לֵךְ, וְהַבְּשָׂר וְהַכֶּהֱן cum duplici Accentu, quorum prior Methegi vices subire non dicendus est, quia Methego in tertia syllaba, sequente scheva quiescente, vel Dagech forti, nullus locus conceditur. Vid. Binjan Schlomo fol. 105. b. Neque valet ratio, qua alii geminatos, in una voce accentus defendunt, vocem nempe gemino accentu ornata[m] haberi pro duabus; quomodo enim vox monosyllabica, quales sunt זֶה, זֹאת pro duabus haberi possit, plane non capio. Rejecto itaque hoc Accentuum officio, aliud erit adducendum, omnibus accentibus conveniens. Duplex autem argumentorum genus in genuina accentuum explicatione nobis superesse existimo, quorum alterum ex antiquitate, alterum ex ipsa accentuum serie in Codice Sacro conspicua, petendum est. Si antiquos Judæos consulamus, quomodo olim leges suas docuerint, in *Codice Talmudico Megilla*. Cap. IV. fol. 32. col. a. respondent, quod eas jucunda quadam modulatione & verborum flexione elocuti sint. Audiamus R. Schaphti l. c. loquentem: אָמַר ר' שַׁפְּטִי אָמַר ר' יוֹחָנָן הַקּוֹרָא בְּלֹא נְעִימָה וְשׁוֹנָה בְּלֹא זְמֵרָא עָלֵיוּ הַכְּתוּב אֹמֵר וְגַם אֲנִי נָתַתִּי לָהֶם חֻקִּים לֹא טוֹבִים וּמִשְׁפָּטִים לֹא יְהִיוּ בָהֶם H. e. dixit R. Schaphti, quod R. Jochanan docuerit: quicumque legit absque jucundo quodam modo, & docet absque cantu, in eum quadrant verba: Ego dedi eis consuetudines non bonas, & iudicia non erunt in eis. Ezech. XX, 25. Ubi Rasche laboriosus ille Talmudis interpres subjecit: נְעִימָה כְּגוֹן טַעְמֵי הַמְּקִרָאוֹת h. e. talis jucundus legendi modus intelligitur, qualem in Scriptura S. accentus indicant. Quod itaque scriptura antiquitus בְּנְעִימָה & בְּזֵמֵרָה jucundo quodam tono & quasi cantu lecta sit, ex hoc loco ad oculos patet, quodque vocum illa jucunda flexio signis accentuum, prout in Scriptura extant, indicetur, Raschius antiquitatum Judaicarum